9.7.462

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JO. EBERHARDI RAU

S. THEOL. PROF. P.

EXAMEN
JURIS CANONICI
ET PRAXIS FORI
ECCLESIASTICI
PROTESTANTIUM

IN CAUSA RAPTUS

ET AFFINIBUS.





ARNHEMIÆ,

Ex Officina NEBEANA, 1753.

AUCTOR LECTORI SUO S. D.

Bene animadversum est his, qui de republica constituenda & bonis legibus munienda commentati sunt, inter hominem ejusque actiones & civilem societatem intercedere simulacrum quoddam & imaginem. Namque (ut omittam cetera) quemadmodum mali habitus, longo usu contracti, hominem deturpant atque decoro statu dejiciunt; ita vero in republica malæ consuetudines bonis moribus omnique politiæ noxam adferunt, tanto graviorem, quanto securius in nervum erumpunt & longo tempore justi velut tituli possessionis acquirunt privilegium. Qua re fit, ut eamus qua itur; non qua eundum; vulgo ex veritate pauca, ex opinione multa æstimante. Est autem consuetudo omnis, ni solida ratione armetur quidam morum tyrannus, Hercommannus ille: cui pro satellitio sunt anticipatæ opiniones & pravi affectus. Illæ

in foro judices, qua tales; hi privatos occupant. Furiarum biga: veri inquirendi sufflamen: pestis optimarum rerum. Utrorumque cum multa in communi vita sunt incommoda, strages multæ; tum vero ea est longe maxima, quod velut olim in factionem Catilinaream M. Percius Cato gravissime disserebat, paulatim *vera rerum vocabula amittimus;* quam verbi gratia *bona aliena largiri, liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo;* adde, quum injusta, & in fraudem legis contracta Sponsalia mollissime atque ex more seculi stratagema Venereum, tanquam excellentis & res ingenii, nec vulgaris artis, appellantur. Nimirum habet indomitus ager quasdam herbas lætiores: & humani ex corporis sagina nævi ac luxurians caro magis extuberat; ut nisi ea amputata atque in ordinem redacta, sanum nihil, cruda, contorta & obstipa sint omnia.

Vetat hujus loci angustia longum pertexere malorum catalogum, quæ illa

illa ex lerna in hominum ſocietatem, mores, verique & falſi ſcientiam undiquaque diffunduntur: diffuſa boni omnes dolent. Sic mecum reputans, in animum induxi meum, utraque cum bellua, puta anticipato ſuffragio & affectuum pravitate, in campo juris ſacri, quod verſatur circa violenta connubia, hac quidem opera congredi, eamque ſi non confodere, at ſic atterere minimum, ut exagitata quaſſataque armis legitimis, minus ab ea detrimenti ac dedecoris ſanctior res Chriſtiana capiat. Et vero ſapiens Aurelii Victoris ſententia eſt, quæ vita Conſtantini Cæſaris velut gemma internitet: *In optimis reipublicæ moribus, quamvis parva vitia, elucent magis: eoque notantur facile: quin etiam acrius ſæpe officiunt; cum ob auctorum decus in virtutes potiſſimum accipiuntur, atque ad imitandum invitamento ſunt.* Et Juvenalis Sat. VIII. 140.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

 Hic

Hic finis, haec meta consilii est. Quare sicubi dictum quid durius videatur; id vero nisi eo aurigetur, dictum nolim. Ut sine sugillatione aut morsu pugna hæc sit; sicut decet mitium Deorum alumnos. Quanquam non eam mihi Rhadamanteam legem dico, ut fraudi sim libertati, quæ verum in rebus a falso discernenti neganda est nemini. Scapham scapham dicimus, ligonem ligonem. Nam qui mores seculi perstringunt, gentium consensu medicorum aliquod instar habeant oportet, ut secent, urant, versa in speciem crudelitatis clementia, cum desperatur, de salute. Vale!


Innocentius Pontifex Extravag. cap. 3. de Raptoribus & Incendiariis decernit: *Si puella invita rapta fuerit & postea consentiat matrimonio raptoris, nuptiæ contractæ sunt etiam invitis parentibus.* Addit, hoc fieri *in honorem matrimonii.*

Boehmerus Jur Eccl. Protest. ad Decret. lib. 1. tit. 2, de Constitutionibus

p. m.

p. m. 142. *Decisiones Juris Canonici ex veris suis rationibus examinandæ & cum statu Ecclesiarum nostrarum conferendæ, ita ut si diversitas nulla singularis appareat, in iis acquiescere liceat, in subsidium scilicet; ubi vero ex principiis fluunt a nostratibus vel rejectis vel cum statu ecclesiarum nostrarum pugnantibus, ab earum applicatione tamdiu desistamus, donec evidenter de observantia fori satis radicata constet. Conveniens est enim, ut dum principiis repudium misimus, conclusiones quoque eo ipso repudiatas esse in dubio judicemus.* Et paucis interjectis: *Plerumque provocatur ad Carpzovii Jurisprudentiam Ecclesiasticam, quæ tamen tantum praxin Saxonicam ostendit, & quidem illius temporis, quo vixit Carpzovius. Mutato Præside judiciorum mutantur ut plurimum sententiæ: ut ita quoque nec observantia & ne quidem praxis hodierna Consistoriorum Saxonicorum cum scitis Carpzovianis conveniat. Hac via media qui incesserit, meo judicio tutissimus ibit.*

 EXA-



EXAMEN JURIS CANONICI ET PRAXIS FORI ECCLESIASTICI PROTESTANTIUM IN CAUSA RAPTUS ET AFFINIBUS.

CAPUT PRIMUM.

STATUS CONTROVERSIÆ EJUSQUE DISCEPTANDÆ PRINCIPIUM EXPONITUR.

ARGUMENTUM.

Summa historiæ Juris Sacri Protestantium, & instituti ratio. II. *Raptus notio universim spectata.* III. *Quid Jure Canonico.* IV. *Plenior definitio.* V. *Quæ illustratur & confirmatur.* VI. *Status quæstionis.* VII. *Ejus dirimendæ principium duplex.*

Omnes divinae humanaeque scientiae & artes id commune fatum habent, ut non simul & semel

ſemel unius atque alterius vel pertinaciſſima opera & ſtudio ad aliquod perfectionis culmen evectæ ſint: quod nec fieri poſſe humanarum rerum patitur conditio. Ita vero nec mirum cuiquam videatur, ſi id ipſum illi prudentiæ parti acciderit, quæ verſatur circa Jus Eccleſiaſticum in ſcholis Germanorum Proteſtantium. Quantum enim in eo momenti ſitum ſit, ut ſubruto tractoque in præceps vetere ædificio, novum a fundamentis excitetur, nemo ignorare poteſt, qui vel hilum communi ſenſu polleat. In ſtructura quavis præ materiæ infirmitate collabaſcente hoc uſu venit, ut quidem rimæ hiatusque facile in oculos incurrant adſpectantium, idque vitium a fundamentis infeliciter jactis redundare in univerſam molem recto judicio colligas (nam, ſicuti ex vero canunt in ſcholis obſcurorum virorum.

Male fundati male firma eſt fabrica tecti) qua tamen e materia, quo in loco, novum tibicinem admoveas, qui ruinam

excipiat reprimatve, ſæpe vix divinando adſequare. Usque adeo, ut disjici veterem compagem novumque ædificium ſecundum artis regulas ex integro ſuſcitari ipſa flagitet neceſſitas. Quo digitum intendam hoc in limine, Lector polite, haud difficulter, me non monente, intelligas. Sub initia Reformationis, quando una cum bonis literis ſacrarum Scripturarum & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, necnon tandem & Juris Naturalis ſtudium certatim coli ac perpoliri a præſtantibus ingeniis coeptum eſt (ut ſunt res humanæ decremento atque incremento obnoxiæ) diu multumque conflictatæ ſunt Proteſtantium Academiæ cum Jure Pontificio Romanenſi, quod Canonicum a Conciliorum, unde magnam partem compilatum eſt, Canonibus audit. Neque ſolum e cathedra tum docebant Juris Anteceſſores aliquamdiu; ſed graviore cum Eccleſiæ ac Reipublicæ jactura in Principum quoque vigebat Conſiſtoriis: quotquot exercitium juris circa ſacra, vete-

ris Ecclesiae exemplo cum Principatu conjunctum, pacto sibi assertum iverant. Donec ad extremum, & sero satis, horum decreta ad genuina, quoad ejus tum fieri poterat, principia revocata, nec non responsa juris prudentum, in dubio edita, corrigerentur atque in unum volumen & corpus redacta publici juris fierent. Quod cum laudatissimo instituto inter primos praestitisset Carpzovius, Lipsiensis; factum est, ut illa collectio Juris Ecclesiastici, ad ecclesias Saxonicas exacti, tanquam norma & regula decisionum in foro Protestantium aliorum, non Principum pactis decretisve, sed usu & consuetudine reciperetur. Verum enim, ne sic quidem rem satis in solido esse, ut ne dehisceret hinc inde nova illa juris compaginatio, multaque in eo desiderarentur passim, testes sunt qui Carpzovianas Definitiones ad incudem revocarunt, Brunnemannus Thomasius, Bochmerus, alii: strenui juris sacri reformati Assertores. Necdum tamen horum,

horum, cedro licet dignisſima, opera effectum eſt, ut tota apte cohaereret, nuſpiam deformis, contignatio. Namque (ut nihil dicam de his, quae ex communibus illorum ac Theologorum principiis, circa nonnullos ritus communi majorum vitio e ſchola Pontificia incaute traductis, eliciunt conſectaria) non pauca, nec levia reſtant, ſi quid video, quae, etiamſi conceſſis utrinque Auguſtanae Confeſſionis ſocii in iis utantur principiis, tamen ſiniſtre hinc deducuntur: atque etiamdum praeter divini naturaeque ſanctisſimi juris cynoſuram conſtanti uſu in foro recipiuntur. Id quod uno *Raptus* exemplo comprobare nunc quidem eſt animus: eoque magis, quod longi uſus titulo praxis ferme radicata cenſeatur Imperio, ut per Jus Canonicum *raptori concedatur matrimonium cum rapta*: in eaque praxi, velut Sibyllino folio, acquieſcatur: neque recte, an ſecus habeat, quod ſatis eſt, e divini juris visceribus disputetur. Vid. Carpzovius Defin. 75. n. 68. Brunneman-

nemannus lib. II. cap. 18. §. 32.

11. *Rapiendi* verbum, cum de homine usurpatur, Latinis dicit *aviditatem celeritatem* & *violentiam*. Illas in subjecto agente; hanc in patiente: ut loquuntur Logicorum filii. Saepe etiam unam duntaxat harum notationum involutam habet; aliquando plures. Donati tamen nimia subtilitas est in Terent. Adelph. Act. III. Scen. 3. *Raptio*, inquit, *ad Personam refertur; rapina ad rem: raptus ad Stuprum, si proprie volumus loqui.* Est enim raptio eadem Terentio *L. C.* qui raptus, utiturque voce illa pro hac tantum metri causa: quomodo Ausonius in prim. Iliad. Homeri dixit *raptionem Helenae*. Et personae raptio, extra quam ad infamem voluptatem, Latinis proprie est *plagium*. Hoc in negotio, ubi de muliere sermo est, quae libidinis ergo abducitur, dicit auferendi potiundique aviditatem, conjunctam cum *festinatione* & *vi;* sic tamen, ut haec magis spectetur, quam illa, atque adeo prima-

ma & praecipua verbi notio involvat *violentiam.* Ita passim Latini auctores unum violentiae significatum rapiendi verbo subjiciunt. Sic *rapto vivit,* qui vi atque injuria partis gaudet. Hinc festinatio & aviditas seorsim exprimitur. Florus Lib. III. cap. 20. *Nihil tale exspectantis ducis subito impetu castra rapuére.* Et Lucianus ἐν Νεκυομαντείᾳ conjunxit *Deorum adulteria & violentias* cum *raptibus.* Eoque sensu potissimum de muliere ad voluptatem abutenda accipitur. Horatius I. Sat. 3. 109.

> *Quos Venerem in certam rapientes*
> *more ferarum*
> *Viribus editior cædebat.*

Id circo verbum Ictis peculiariter ad illicitas & violentas nuptias translatum est.

III. Canonistis, praeeunte Gratiano C. 36. q. 1. Cap. 2. *rapere* nihil aliud est, quam *violenter abducere puellam a domo patris, ut corrupta in uxorem habeatur: sive puellæ solummodo, sive parentibus tantum, sive utrisque vis illata*

Digitized by Google

lata constiterit. Qua quidem in definitione, quamvis verba calumniari frivolum putemus, neque adeo puellam *a domo patris* abducendam sic exaudiamus, ut non simul quomodo libet. blanditiis & dolis, quos notat Justinianus l. un. Cod. de Raptu virginum, quovis e loco, sive patri sive tutoribus aut familiae eripiatur; tamen hoc alienum videtur, quod addit Gratianus, ut eam corruptam habeat *uxorem.* Potest enim raptor eam habere concubinae loco, eaque abuti ad voluptatem; quamvis non ducat uxorem. Deinde Jure Civili pariter atque Cononico raptus censetur, tametsi *corruptela* aut stuprum non intervenit. Quo casu raptor censurae subest Ecclesiasticae, atque etiam rapta, si in matrimonium consentiat. Denique allata definitio solas nominat *puellas;* cum tamen & nuptae & viduae & libertinae & ancillae nec non & pueri aliquando rapiantur. Ceterum recte Gratianus (in quo utinam vestigia veterum presse tenerent mustei

mustei Canonistae!) ad legitimas nuptias tanquam conditionem necessariam requirit parentum consensum. Raptus enim etiam tum admittitur, quum consentiens puella parentibus insciis & invitis subducitur. Eaque in re lex civilis amice conspirat.

IV. Quum ergo id crimen multo pateat latius; Raptum recte dixeris, & in genere quidem: *Cum quis hominem*, speciatim *mulierem ingenuam & honestam*, sive *coelibem* sive *conjugatam*, volentem, sed invitis parentibus aut marito, cujus uxor est, aut *nolenter abducit ut sit in ejus potestate:* sive *eam ducat uxorem*, sive *ea abutatur ad voluptatem*. Est vero Raptus quaedam species: *Ubi quis mulierem*, quam diximus, *ingenuam*, *in fraudem legis*, *ad emolliendam delicti atrocitatem atque invidiam*, sive *ipse* sive *per alios*, *blanditiis & dolis artibusve*, *ab honestate ac juris specie remotis*, *hoc efficit clanculum cum hostilitate quadam & injuria parentum*, *quod alii per apertam vim:*
sugi-

virginemque ita expugnat, ut initis secum clandestinis sponsalibus suos in amplexus ruat, & venia copulationis sacerdotalis in judicio Ecclesiastico impetrata, spe amplæ dotis, ejus uxor sit; sive stuprum interveniat, seu non. Itaque ad rationem formalem culpæ requiritur, illic quidem vis publica; hic privata & clancularia. Quanquam & hæc in eventu, ratione parentum, quorum potestas eluditur (Neque enim ea est liberorum procreandorum conditio) etiam publica dicenda est. Sic tamen, ut *gravioris* pœnæ reus sit, qui aliquam per vim publicam atque in omnium oculos & odium incurrentem rapuerit; *gravissimæ*, qui simul stupraverit: *mitius* autem habendus sit, ac pœnæ civili arbitrariæ censuræque Ecclesiasticæ subesse cum muliere & facti sociis censeri debeat, qui eam, præsertim minorennem, blanditiis & dolis pellexerit, ut invitis parentibus, aut qui illorum loco sunt, sese abduci patiatur. Quanquam ex vetere Impe-

rii obſervantia in foro civili raptor capitis ſupplicium ſubiit, atque inſuper bona amiſit, ſive mulier velit ſive nolit; per l. un. C. de Raptu virginum & l. Juliam de vi publica. Illic vis infertur libertati puellæ ac parentibus, aut marito; iſtic præterea pudicitiæ: hic ſolis parentibus: ubique vero etiam cognatis ac familiæ. Unde illud docendi cauſa violentum conjugium *dupliciter*, iſtud *tripliciter*, hoc *ſimpliciter* tale, aut mavis, hoc poſtremum paulo mollius *abductionem* appellare liceat. Eſt enim aliquid indulgendum ſeculo & novæ Juris Philoſophiæ. Exempla e ſacris Scripturis infra adferemus.

V. Quum vero in definitione raptus hunc caſum, tanquam eadem plus minus haud vacantem culpa, expreſſimus. ubi quis videlicet in fraudem legis, directe ac mediate, per artes & machinationes ab honeſtate ac juris ſpecie remotas, hoc efficit, ut mulier ad raptum quaſi manus porrigat; id genus atten-

attentatum autem, secundum utriusque Romani Juris regulam, non veri nominis raptus judicetur: quippe ad cujus essentiam & rationem formalem requiratur, ut mulier *violenter* abducatur; eam nobis hoc loco impositam necessitatem cernimus, ut etiamsi res non geratur per vim publicam atque in omnium oculos & odium incurrentem, atque adeo is, quem diximus, casus raptus proprie & presse dictus videri nequeat; attamen, ut liberales simus, illius saltem speciem & gradum inferiorem, non mera clandestina sponsalia, censendum, pœnamque adeo extraordinariam & arbitrariam in abductorem & socios, velut in raptu proprie dicto nunc obtinet, ut ut paulo leviorem, statuendam esse vincamus. Et principio quidem in genere animadvertendum est, actionis cujuslibet moralis vitiositatem in foro humano non tam ex modo agendi externoque apparatu (qui cum sæpe minus sub adspectum & publicam invidiam cadat, pœnæ non

facit locum) quam præsertim ex intentione, fine & effectu, nec non objecti, in quo terminatur, natura & imbecillitate metiendam esse. Quanquam itaque externus agendi modus hoc in casu differt ab eo, qui in raptu proprie dicto usu venit; idem tamen est machinationis & potiundæ Helenæ consilium; eventus idem: tum ratione patriæ potestatis, quæ hic contemnitur; tum Ecclesiæ, quæ offenditur; tum ipsius mulieris, quæ cum verbi gratia (finge casum) pars sit honestæ familiæ, & quidem minorennis, adeoque recte sibi prospicere per ætatem nequit, contra vero a parentibus *ad legitimas nuptias, non secus* (sic apud Livium suam & filiæ causam peroravit Virginius) eoque consilio & procreata & educata est, ut universæ familiæ communique stirpi prosit ejusque honori ac incremento vivat & nubat; ab ea per vim avellitur, atque haud raro, ubi læsus parentum aut tutorum honor publice non reparatur, sibi relicta quasi mortua

tua censetur. Quin & ea res semina jacit longinqui odii, atque internecinas inter facti auctores complicesque & agnatos conflat simultates & inimicitias. Ut dubites, utra sit pestis perniciosior, publicumne bellum, an privata familiarum dissidia: quæ uti majorum societatum simulacra sunt & imagines, ita gliscentes inter has lites ad gangrænæ instar omni ævo lugubrem habuere exitum: nascunturque hinc sæpe multa incommoda, quæ in ipsam rempl. maxime redundant. Id quod fuse persecutus est Plato lib. II. de Repl. Melius edocta Plautina Alcumena, Amphitr. act. II. scen. 2. 209.

Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatam cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam.

Quid enim, obsecro, interest inter veri nominis raptum & illos, exempli gratia, superiore seculo in nobili oppi-

do Saxoniæ consarcinatas fraudes, in legis vituperium excogitatas confictasque: quando adductores atque adductrices, ut Apulejo audiunt, & in his qui honestatis, gravitatis, sanctimoniæ & sacri ordinis larvam induunt, securius nemineque opinante in stratagema conspirant: quum illi, inquam, ne fraus & dolus perpluat, neu prius hinnula evadat, erumpat, quam cassibus constricta tenetur, non solum privatos inter parietes, quo officii & humanitatis ergo convenimus, sed & parili prætextu ruri inter hortorum camporumque latebras, virginem (cujus quidem pudicitiam, ut ille in Plauti comoedia senecio, quisquam non nimis servare potest) pelliciunt, suumque Paridem, ceu mercem peregrinam & nudius tertius advectam pulchre, ut fit, exponunt, commendant: tum vero instrumentum sponsalitium ex arena puellæ obtrudunt, addito hoc mandato, ut ne rem agnatis prodat antequam ad procum avolet, quo parentur nuptiæ: solici-

ſolicitaturos ſe interea temporis tutores abſentes, ut conſenſum interponant; ſin illi negent, ſalvam rem fore in Conſiſtorio? Isque adeo de compacto ludus editur, ut non tam perſonam ambiant, quam ejus dotem fortunasque in procum transferant. Dices hic intervenire conſenſum virginis. At, quidni is vi clam & precario extortus atque adeo nullus dici debet, ubi puella, & quidem minorennis, vixdum pubes facta, ſub expreſſa conditione, niſi tutores disſentiant, ſponſalia quidem contrahit, poſtmodum tamen proxenetarum artibus eo adducitur, ut conditione poſthabita ipſo facto nubat proco; licet tutores disſenſum ſuum ſolenniter in judicio declaraverint? Unde reſultat quæſtio, Num reſcindi ſponſalia, dolo malo inita, posſint ac debeant? quod nemo non negat. -Rurſus, fac conſenſum puellæ acceſſisſe atque etiam tutorum; tamen Jure Civili pœnæ raptus manet locus quoad bona raptoris & raptæ; licet hæc & illi

in matrimonium consentiant. Erit ergo & hic pœnæ civili locus cum in abductam statuendæ, tum in abductorem & complices; quamvis cum aliquo temperamento, ut mox dicemus: nec solum civili, verum & Ecclesiasticæ; quia Ecclesiæ præbetur scandalum. Estque omnino attendenda huc quadrans legis ratio, quam Justinianus subjecit l. cit. *Quoniam*, inquit, *in Republica nostra non patimur, ut quis hostili more uxorem ducat. Cives enim ducere solent uxores, non rapere. Quod si puella sponte velit rapi, nihil tamen,* pergit Imperator, *de pœna raptoris minui debet: omnino eadem est, sive mulier velit sive nolit.* Iterum rationem subdit; *Quia si raptor sibi temperet a raptu: non est verosimile aliquam mulierem se ultro rapiendam oblaturam; idcirco probabile videtur eam blanditiis & dolis expugnatam esse.* Neque vero pacis opus; sed ut C. Cæsar apud Sallustium, *belli sævitia est, rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentum com-*

complexu. Ita vero plane exiſtimo: quemadmodum quis homicidii tenetur, ſive palam & per vim, adhibito lethali inſtrumento, clava, gladio, hominem interimat, ſive id clam faciat & per inſidias, potione venenata aliisve pharmacis: quantovis volenti atque inſanienti propinentur; ita nihil intereſſe, utrum quis virginem per apertam vim, an hominum opera, quos multo ſale fricat Plautus Perſ. Act. IV. Scen. 6. 20-23. his quibus ante dictum, turpisſimis machinis paterna e familia ſubmoveat. Siquidem utrobique ex diverſo actu idem eventus, effectus idem conſequitur: illic vis publica, hic privata eſt & clancularia; proinde vis tamen, non ſine bonorum omnium offendiculo. Itaque ex dictis ſua ſponte fluit concluſio: Nimirum, quia in altera parte abductoris conſilium potiundæ Helenæ ab hoſtili more uxorem ducendi parum abeſt, blanditiisque & dolis adverſus minorennem res geſta eſt, eoque ſcandalum præbitum Eccleſiæ;
 in

in altera vero tutorum consensus ex ordine, quamvis dicis causa, requisitus fuit; cessabit omnino quidem pœna, quæ, Jure Civili, lege Julia de vi publica, ex vetere praxi raptori & complicibus infligebatur. Porro cessabit pœna, quæ nostris moribus passim in raptum proprie dictum statuitur, quoad quantitatem. Cetera erunt paria, ratione qualitatis pœnæ; sive spectes *censuram Ecclesiasticam*, cui suo merito omnes subsint, abducta & abductor & socii; sive speciatim consideres abductorem & complices, qui non quidem more majorum fustigatione, sed *poena civili extraordinaria* seu arbitraria teneantur; sive puellæ consentientis *exheredationem* adspicias, qualis & in meris clandestinis sponsalibus obtinet, ubi justas dissentiendi causas parentes habent. Tales vero causæ licet hic allegari nequeant; cum tamen modus procedendi quam proxime ad raptum propie dictum accedat; hic id genus causas supplere censendus est

eſt: ut adeo hæc non minor pars pœnæ ſit, quum dote carendum eſt abductori, cui maxime inhiasſet. Huc facit, quod ſi qua filia nopſisſet invitis parentibus, aut alioqui ſe petulanter & impudice geſiſſet, parentibus jus ſit eam exheredandi; ut in Cod. habetur de Inofficioſo Teſtam. Hoc unum excipitur, ſi pater ſciverit tranſiiſſe juſtum tempus matrimonii, hoc eſt, XXV annos, & filiam noluerit elocare; tum nihil habet quod agat adverſus filiam, ſi eo inſcio vel invito nupſerit: imo cogitur illi dotem dare; ut eſt ibidem. Quæ cum ita ſint; judicium Eccleſiaſticum hoc in caſu in præjudicium familiæ, aut quorum abducta in poteſtate fuit, concedere abductori matrimonium cum abducta tutorumque conſenſum, quaſi ex officio, ſupplere potuiſſe, ita ut nulla in hos ſtringeretur cenſura, ne quidem publica deprecatoria, ut loquuntur, tutoribus debita, boni omnes negabunt, mirabuntur. Quin contra de vi

facta

facta familiæ querelam interponendi in judicio Cameræ Imperialis tutoribus, aut ubi illi desint officio, proximis agnatis, jus salvum fuisse, extra controversiam positum sit apud hos qui norunt, quid distent æra lupinis.

VI. Sit igitur quæstio ad disputandum proposita: *An raptori & abductori juste concedatur matrimonium cum rapta & abducta?* Quod negamus, & contra asserimus, has quidem nuptias, ob circumstantias, quas modo attulimus, haud temere concedendas: illas vero etiam esse detestabiles. Siquidem ubi publica auctoritate permittuntur; atque ubi raptores aut abductores norunt habituros se raptas aut illectas in matrimonium; juvenum effreni licentiæ porta decumana aperitur: patria potestas proculcatur: funestæ sæpe inimicitiæ conflantur: ingenuæ, nobiliores opibusque florentes familiæ pessundantur: supremi Numinis ira provocatur: summa miscentur imis, pessimorumque exemplorum seges ampla in

in republica futura eſt.

VII. Quod ut demonſtremus, pro norma & regula nobis ſint, tum *Sacræ Scripturæ*, tum ſobria *praxis veteris Chriſtianæ Eccleſiæ*, Conciliorum melioris notæ canonibus, tanquam ſuffragiis, confirmatæ. Quo quidem principio, extra controverſiæ aleam genuino, ſi recte ac legitime utamur; tum vero obtinuisſe merito cenſebimur, quod eſt in quæſtione poſitum.



CA-

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

DE EO, QUOD JUS MOSAICUM STATUIT DE RAPTU & DELICTIS AFFINIBUS.

ARGUMENTUM.

Leges divinæ, de plagio: tum de stupro voluntario & violento. Error Canonistarum, & Rabbinorum. II. *Num fas fuerit Israelitæ militi per legem Deut.* XXI. 10-14. *inferre vim pudicitiæ virginis bello captæ. Negatur adversus Rabbinos & Seldenum.* III. *De Raptu nihil speciatim cautum est Jure Mosaico. Judici tamen normæ loco erant, præter legem plagii, sacræ Historiæ, quibus ultimum supplicium ipse Deus raptoribus statuerat.*

Ordiemur a Divino Jure, & quidem Mosaico. Hoc etsi quoad leges forenses, quatenus ad Judæorum Rempublicam relationem habent, nos non obligat; si tamen lex aliqua simul in

in naturali jure & æquitate fundata ſit, aut quid ſtatuendum de crimine, Sacra haud obſcure prodat Hiſtoria; utique & nobis ſub Novo Teſtamento noſtrarum legum normam eſſe & regulam cenſeri debet. Et de Plagio quidem, hoc eſt, illo flagitio, quo ſive ſui ſive alieni juris homo Iſraelita ab Iſraelita per vim aufertur & abducitur, ut vel vendat eum plagiarius, vel ſerviliter duriterque habeat, aut cogat ad militiam, quum ſui vel alieni juris ſit, diſerta lex eſt Exod. XXI. 16. quæ repetitur Deut. XXIV. 7. ultimum ſupplicium ſanciens in reum· addita ad delicti deteſtationem ratione illa, *ut malum*, hoc eſt, res mali exempli, *tollatur e populo. Si quis deprehenſus fuerit furtim auferens aliquem hominem e fratribus ſuis Iſraelitis*, והתעמר בו *& imperitaverit ei* detruſurus ad ſervitia, *aut vendiderit eum, omnino morietur fur ille: ſic ſuſtuleris malum e medio tuo.* Neque aliter Hebræi hanc legem accipiunt; niſi quod genus ſupplicii

plicii definiant ſtrangulationem; in Codice Sanhedrin cap. X. 1. Quanquam enim lex illa cum Hieroſolymitano interprete de illicito & violento connubio exaudiri, aut vero etiam ad mulierem furto abripiendam extendi poſſe videatur (Et ſunt in Gemara dicti codicis fol. 85. 2. quibus hoc poſterius arridet) attamen ſcrupulum judici Iſraëlitico haud abs re injecerit prior lex Exod. XXI. 16. ubi delictum ad *hominem marem* איש, & quidem ſimiliter *vendendum* reſtringitur. Itaque adverſus Raptum preſſe dictum, qui fiat de liberato conſilio, & eo quidem animo, ut quis raptam uxorem habeat aut ea voluptatem expleat, nihil ſpeciatim cautum eſt Jure Moſaico. Quod ſi enim puella Iſraelitica illecebris eo ſeſe adduci atque expugnari pateretur, ut ſtuprum in ſe admitteret lubens ac volens; hoc in caſu valebat lex Exod. XXII. 16. 17. *Si quis pellexerit virginem (ingenuam & honeſtam.* Neque enim illa corpus ſuum ultro proſtituere præſu-

præſumitur) *non deſponſam, & coiverit cum ea; conſtituat ei dotem ducatque uxorem. Sin renuat pater ejus eam dare illi; pecuniam pendito, prout eſt dos virginum.* A cujus legis poſteriore membro quantum noſtra nunc recedat praxis, norunt dolentque boni omnes, qui in foro verſantur. Porro, edicta illa Deut. XXII. 22-29. hos ſigillatim caſus circumſcribunt, ubi quis Veneris œſtro percitus (אם תקפו יצרו Rabbini dicerent; ſive, ut Perſius Sat. III. 36.

cum dira libido
Moverit in genium ferventi tincta veneno.)

vel uxorem alterius vel virginem deſponſatam vel coelibem & innuptam vi compresſerit: non eo conſilio, ut eas habeat uxores, aut porro iis abutatur ad voluptatem; multo minus, ut earum dotem in ſe transferat. Unde qui cum virgine invitam rem habuisſet eamque vi compresſisſet, illi pœnæ loco injungitur, ut non ſolum

 mul-

mulctam pecuniariam quinquaginta ſiclorum, ſat gravem pro ratione illorum temporum (Vid. 2. Reg. XV. 20.) patri puellæ ſolvat; verum & jubetur eam vel invitus habere in matrimonio, nec poſſe dimittere per omnem vitam: dato ei libello repudii, quod aliis fas erat; commate 28. 29. *Si quis* (fortuito) *reperiat puellam virginem, quæ non eſt deſponſata, & prehendens eam concubuerit cum ea, & manifeſti fiant; dabit vir ille, qui concubuit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenteos, & eſto illi uxor. Quod compresſit eam, ne poteſto dimittere eam omnibus diebus ſuis.* Eſtque adeo lex illa capienda de puella non melioris conditionis aut fortunæ, quam eſt compresſor, ſed deterioris, aut certe æqualis. Secus enim legis ſanctio, qua vitiatam habeat uxorem & quidem ad dies vitæ, non erat pars pœnæ, ſed legis violandæ fomes potius & incitamentum. Apparet vero ex dictis, primum quidem

dem, quam nullo argumento Doctores Juris Canonici, hoc loco raptum proprie dictum intelligi, pœnamque adeo in eum statui existiment, quam nostris legibus moribusque sequamur; quum nemo non videat palam sermonem Legislatori esse tantum de stupro violento. Quod & perspexere Hebræi interpretes in h. l. præeuntibus Juris Judaici Pandectis in Codice Kethuvot cap. III. 4. Præteriri tamen non potest, eorundem Judæorum Magistros (ut solent sæpe alibi) verba magis quam sensum istius legis captare: præcipientes eandem quinquagenorum siclorum mulctam illi dictari etiam, qui vel regio natam sanguine per vim stuprasset; idque per eorum juris regulam: *Quicquid præstitutos habet ex ipsa lege terminos, æqualiter se habet ad universos*; quum tamen communis ratio, nedum Jus Mosaicum, e diverso haud obscure eorum honori consulat, qui alios vel publico munere vel nobilitate ante-

cellunt: adeoque iſtius regulæ limitationem ſuppeditet, vetans, *ne quis principi in populo maledicat*, Exod. XXII. 28. Erant ergo perſonæ ſanctæ & inviolabiles. Quod privilegium ſuo modo etiam ad eorum pertinuit domeſticos. Atqui his ſi fieret injuria, aut ſi ſtuprum offerretur filiæ familias; graviorem̃ne pœnam conſtitutam in delinquentem cenſebimus, quam ubi id flagitium in quamlibet de plebe puellam admisſum ſit? Ac fuit id ipſum moratiorum gentium legibus ſancitum, ne connubia plebejis esſént cum nobilibus: tantum abeſt, ut ſæviens in nobilioris mulieris pudicitiam non gravius puniretur.

II. Quo magis mirere, Seldenum illas Rabbinorum offucias intactas relinquere, neque ut potuit ac debuit, eorum ſcita ad rectæ rationis & juris ſobrii obruſam exigere; contra iterum iterumque τῷ Ἀυτος ἔφα lectores obtundere, corvosque hiantes deludere, Uxor. Hebr. lib. I. cap. 16. Quo &

& illud pertinet, quod legem Deut. XXI. 10-14. cum Magiftris in hunc fenfum arripiat, tanquam liceret Israelitico militi bello voluntario (במלחמת רשות) captam mulierem gentilem vitiare: vitiatam vero, quum eam habere uxorem nollet, manu emittere, Jur. Nat. & Gent. lib. V. cap. 13. Quod quidem tale eft, ut vel meliores gentes ab ifto efferatæ libidinis actu tutum præftiterint foemineum fecus: ut quod nec armis noceat regulariter, nec in belli culpam veniat. Vide fis quæ huc collegit Grotius de Jur. Bell. & Pacis lib. III. cap. 5. §. 19. Easne vero bello captas pudicitiæ jacturam facturas exiftimabimus, quarum faluti & incolumitati ipfe Deus confultum ivit: etiam quum nuptis במלחמת מצוה bello ipfa Dei lege mandato; ob proprium ipfarum crimen, pereundum esfet? Num. XXXI. 17. 18. Numquid fævire in harum corpora fas fit, quas vendere aut fervarum loco duriterque habere militem Deus

prohibuit? Deut. XXI. 14. Scio Magistellis quid fraudi sit. Nam ut illud eorum sententiæ præsidium nihil morer, vix mulierculis dignum, quod quærunt in verbis, *Introduces eam in domum tuam*, commate 12. dixerat Deus, *Sin minus dilexeris eam; dimittes eam suo arbitrio; at nequaquam vendes eam pecunia; ne tyrannidem exerceto in eam* compellendo ad serviles operas (Est enim in Hebræo התעמר: quod LXX hic quidem reddidere ἀθετῆν, sed rectius Deut. XXIV. 7. καταδυναστεύειν: mutuata verbi notione a Samaritis, qui עמר substituere pro כבש Gen. I. 28.) תחת אשר עניתה quod illi juxta cum Onkeloso & aliis plerisque interpretibus sic intelligunt, *Eo quod compressisti eam*; puta pudicitiæ violandæ ergo; ceu vero id fas & jus sit militi. Et est (ne quid dissimulem) ubi verbum ענה, absolute positum, in eum sensum usurpatum legas, quum de muliere sermo est; velut Deut. XXII. 24. 29. Jud. XIX. 24. Ezech. XXII. 10.

10. 11. Sed pace illorum interpretum dixerim, longe aliud dictare legem, de qua nunc sermo nobis est. Præterquam enim, quod id facile facti insolentia indignitasque & ἀτιμία coarguat, ut diximus; non supine ac segniter expendendus est istius verbi usus. Namque flexum in eam formam latissimæ notationis est: dicitque in genere actum, quo efficimus, ut ægre sit alteri, dum nostro obtemperat nutui & arbitrio; sive illi æquabili animo, aut certe lætitia ac hilaritate carendum sit, Psal. XC. 15. Thren. III. 33. Levit. XVI. 31. sive libertate & jure suo, ut vel in servitutem cogatur, Gen. XVI. 13. Exod. I. 11. alibi, vel vim & injuriam suo corpori a validiore, Jud. XVI. 5. speciatim pudicitiæ inferendam pati necesse habeat. Atque hoc sensu acceptum elucidationis ergo sæpe jungitur cum שכב, quod est *concumbere* cum muliere, Gen. XXXIV. 2. 2. Sam. XIII. 14. Quum igitur hic simplici-

pliciter, nec addito verbo illo ἐπεξηγητικῷ, Legislator pronunciat תחת אשר עניתה, prætereaque de muliere sermo est, bello sub militis potestatem redacta; quid nisi hoc vult Deus dicere: *Ne vendito eam pecunia, neu tyrannidem exerceto in eam*, תחת אשר *propterea quod* (Vide Jerem. V. 19. coll. cum XVI. 10.) *male ac duriter habuisti, afflixisti eam*, hoc est, fecisti modo ante, ut ægre sit ei captivæ, quum tuo ipsi agendum vivendumque fuit arbitrio? ut apposite Hierosolymitanus interpres: די יהיבת רשותך עלה *Quod data tibi in eam potestas fuerat*. Itaque mandat Deus, ut ne gravi in eam miles utatur supercilio, sed honeste comiterque habeat, quam patria ademta ceterisque mutatæ sortis suæ documentis molestis, de quibus comm. 12. 13. satis abunde discruciasset: fore enim afflictæ afflictionem additam. Huc facit, quod Deus præcipiat, ut miles eam dimittat suo arbitrio, cum ducere uxorem nolit. Estque parilis ejus verbi

verbi usus Gen. XVI. 9. ubi Hagar jubetur Saræ se submittere (יענה) ejusque velut heræ in se potestatem agnoscere. Proin concludamus: non regnum militis Israelitici libidini datum esse in captivas; sævire in earum libertatem & eripere penatibus, justum; pudicitia saltem & multo magis vita, in tuto sint, ut quæ violatæ neque ad violantis securitatem pertineant, neque ad pœnam captæ, adeoque non bello magis quam pace impunitæ esse debeant. Sic æquitatem, sic sanctitatem lex spirat, & vacat calumnia.

III. Ex dictis perspicuum est, quod initio monebamus, nullam in raptum proprie dictum legem latam esse Jure Mosaico. Cujus rei si causam lubeat exquirere, forsitan a vero non abluseris, si prorsus eandem adsignaveris, quamobrem & Romani veteres post Solonem, Atheniensium legumlatorem, nihil statuisse legibus Decemviralibus de parricidio, proprie ac

ſtricte dicto, perhibentur: nimirum, quod ad hoc tam atrox, tamque nefarium & execrabile crimen, vix deſcenſurum civem ſua in republica animo præſentiſcerent. Quanquam iidem nec raptui tum quidem præfixiſſe pœnam leguntur: puto, ne ſibimet infamiæ labem Quirites adſpergerent, qui ex violentis conjugiis cum Sabinis mulieribus prognati eſſent. Hinc Salluſtius in fragm. lib. IV. *An ignoras Romanos nihil quicquam a principio niſi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium?* Porro Deus inter affines leges ne quidem tangit raptum; quia ſatis erat verbis generalibus interdixiſſe, ne Iſraelitæ Cananæorum Aegyptiorumve, quorum *caro erat velit caro aſinorum* Ezech. XXIII. 19. 20. moribus ac inſtitutis viverent: ſeque iis polluerent, quæ Deo abominationi eſſent, Levit. XVIII. 3. Harum vero gentium, ſi non jure & legibus, at conſuetudine & licentia, rapere ſaltem innuptam,


præsertim advenam, peregrinam, impune erat; ut apparebit e sequentibus. Deinde, cum ita ferret, ut quid juris sit in casibus specialibus, ipsa lege Mosis non definiatur, (quod nec fieri posse facile omnes largimur) existimandum est horumce casuum decisionem sibi reservasse Deum αὐτοκράτορα, quoties vel lex exstaret nulla, vel si exstet, verbis generalibus proposita, vel lege perlata poena in dilictum non esset constituta. Illius generis exemplum est in causa raptus: istius Num. XXVII. 1-7. hoc locum invenit ibidem cap. XV. 32-36. monetque sacer Historicus poenam ejus, qui violaret Sabbatum, superiorum legum tabulis expressam & declaratam non fuisse, commate 34. Ac proin Deus pro re nata in dubio consulendus, ejusque standum erat sententia. Id quod ergo de raptu similiter tenendum; si quis eo se flagitio obstringeret. Deinde, ut diserta lege raptu Israelitis interdiceretur, nihil

necesse

necesſe fuit. Ut enim non dicam eos Exod. XXXIV. 16. arceri a vicinarum gentium connubiis; tum vero etiam per legem Num. XXXVI. de non ducenda puella hereditaria extra tribum, ſic ſatis cautum esſe, ne id crimen temere admitteretur; poterat; quid de eo ſtatuendum ſit in judicio, nullo negotio per regulam paritatis (דרך גזרה שוה Magiſtri vocant) ex ſuperius allata lege de plagio intelligi: nimirum raptum mulieris capitalem esſe; eoque magis quidem, quo plura gravioraque flagitia, vis facta, foeda voluptas, violata in parentes reverentia, in hoc unum, velut ſentinam, confluerent. Quin potius a lege illa plagii, capitis ſupplicium in reum ſanciente, ſi quis hominem Iſraelitam vel clam dolo abſtulisſet quæſtus ex ſervitio faciundi gratia, ad raptum mulieris Iſraelitidis, qui præter vim factam attentetur cumprimis cauſa voluptatis explendæ, facile judex, tanquam a minore ad ma-

jus

jus (קל וחומר) procedere & argumentari poterat. Accedebant ad ultimum præjudicia & exempla, quibus tum ipſe Deus, tum ſacri Hiſtorici, id facinus jam ante abominandum & capitalis noxæ declaraverant; ut mox dicemus.



CAPUT

CAPUT TERTIUM.

EXEMPLA RAPTUUM NUPTIARUMQUE ILLEGITIMARUM ET POENAE IN HAS CONSTITUTAE, E SACRIS HISTORIIS PETITA; UNDE CRIMINIS MAGNITUDO ET GRAVITAS AESTIMETUR.

ARGUMENTUM.

Locus Gen. VI. 2. exponitur. II. De raptu Saræ, III. & Dinæ. Quo sensu cladem, Sichemitis illatam a filiis, Jacobus culpaverit. IV. Benjaminitæ rapuere virgines Israelitidas: jurene, an injuria?

Huc pertinet, quod Gen. VI. 2. legitur, atque inter causas refertur terrarum orbis diluvio perdendi: ויראו בני האלהים את בנות האדם כי טובות הנה ויקחו להם נשים מכל אשר בחרו *Videntes filii Deorum filias hominum, quod forma præstarent corporis, duxerunt ex iis uxores, quascunque delegissent. Filiæ hominum*

minum, Deorum filiis oppositæ, natæ erant, si verum amamus, inferioris conditionis ac fortis hominibus. Suadet Hebræa phrasis; ut cum בני אדם *filii hominum*, hoc est, humiles, opponuntur בני איש *filiis virorum*, qui sunt viris præstantibus nati. Illi *egeni* & pauperes; hi locupletes interpretantur exserte Psal. XLIX. 3. *Audite hæc omnes populi: auribus percipite omnes habitatores mundi; tum* nati homine (בני אדם) *tum* nati viro (בני איש) *simul* dives & egens. Gemina est Salomonis apostrophe, Prov. VIII. 4. *Filios Deorum* Moses dixit, quos Psaltes *filios virorum*. Suntque juvenes parentibus editi opibus rerumque affluentia, præsertim dignitate ac generis nobilitate conspicuis: qui cum id essent in civili societate, quod Deus in hoc universo, atque adeo sua opulentia, auctoritate, potentatu, aliquam suprimi Numinis imaginem & simulacrum in terris haberent (quippe *Dei divites sunt, Deos decent opulentiæ*

Et

Et factiones. Plaut. Trin. II. 4. 89) hinc אלהים *dii* audiunt, loquendi modo Hebræis trito. Sic tamen, ut tanquam *dii dictitii* opponantur summo & vero Deo, qui discriminis ergo *Deus deorum* & *dominus dominantium* celebratur, Deut. X. 17. Haud secus atque Psal. LXXXII. 1. 6. deorum titulo decorantur, qui sedent in cathedra Mosis, vicaria quadam Dei in jure dicundo pollentes potestate: a quibus distinguuntur אדם (suple בני) *plebeji* & tenues *homines*, commate 7. Ac ne cui mirum videatur, ab eodem loquendi genere non abhorrere ipsum Mosen, quem nunc exponimus; adeatur is Exod. XXI. 6. XXII. 8. 9. 28. Nec scio, an ullo vel Mosis vel reliquorum scriptorum suffragio vinci possit, homines impios, atque a fidelium cœtu remotos, speciatim venire בני אדם nomine: & opposite quidem ad piorum gregem. Quin contra & horum communem appellationem esse, omnes norunt. Estque Scriptura non

ἰδίας

ἰδίας ἐπιλύσεως; sed exponenda ex scripturis, si sapimus. Itaque noster Historicus hoc vult intelligi: *natos nobili genere & opulentos juvenes uxores sibi delegisse hominum, e plebe, deterioris & abjectæ sortis filias:* haud dubie invitis parentibus & agnatis, si non puellarum, at eorum in quorum illi potestate aut quorum pars erant familiæ. Quanquam & a Cainiticæ prosapiæ filiabus, serpentis semine, sibi minus temperasse per idem tempus homines Deo devotos, eoque magis provocasse Dei iram, non negaverim. Secus enim tam seriam id facinus non merebatur censuram. Ac prostant in sacris literis exempla nuptiarum a viris eximiæ probitatis laude conspicuis ipsoque populo Israelitico initarum cum mulieribus gentilitiis Deoque exosis; quibus tamen sic Deum iratum fuisse atque his antediluvianis, haud facile dixeris. Porro Deorum filii duxere filias hominum maxime ad voluptatem, quod *præstanti* essent *forma com-*

mendabiles; ſive illi alioqui verum Deum colerent atque Sethi esſent familia ſati, vel hæ aut utrique; ſive alteruter conjux ſequioris cœtus partem faceret. Hæ nubunt ipſis ſpe fortunarum ampliandarum, atque etiam dignitatis ac nobilitatis, in cujus partem venirent jure matrimonii. Unde his e connubiis qui naſcerentur, גבורים (ſubaudi חיל, ut eſt 2 Reg. XV. 20.) *opibus potentes* & אנשי השם *viri famoſisſimi* evaſerant, comm. 4. accedentibus ad promiſcuas nuptias 7.7, נפלים qui in alios hoſtiliter irruerant ſuaque ipſis per vim eripuerant: futuri perditisſimis moribus, luxuria, ambitione & avaritia, ceterisque ſecundis rebus oriri ſuetis malis, tenuiorum libertati ac fortunis infenſi tyrannidemque exercituri; ſed ſuopte exitio, accitis in ſupplicium undis diluvialibus. Fere quemadmodum de Cæpione Criſpino, Tiberii principis familiari, ſcriptum reliquit Corn. Tacitus Annal. I. 74. *Potentiam apud unum, odium apud omnes adeptum dediſſe exemplum, quod ſecuti ex pauperibus*

ribus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac postremum sibi invenere. Nempe, ex sententia Theognidis Megarensis,

Τίκτει τοὶ κόρος ὕβριν, ὅτ' ἂν πολλῷ ὄλβος ἕπηται.

Nascitur ex magnis opibus petulantia major.

Ad postremum Moses non ait eos petiisse uxores ab earum parentibus, easve suorummet parentum voluntate & consilio duxisse ex ordine; sed *accepisse, quas judicassent habendas:* ferarum more in promiscuos concubitus ruentes. *Accepisse* inquit, hoc est, *abduxisse, rapuisse:* quæ est notio verbi לקח, cum de muliere sermo est & per vim res geritur; veluti Gen. XII. 12. XX. 2. XXXIV. 2. Conf. Exod. XXI. 14. Job. I. 21. Amos. IX. 2. 3. Ac profecto hoc etiam vitium e societate hominum, in qua bonæ leges languescunt & tanquam aranearum telæ a potentioribus perrumpuntur, haud secus atque ex humani corporis sagina extuberare, omnis ævi memoria loquitur. Exemplum vis? Dabit huic

 paris-

parisſimum Romanæ Hiſtoriæ parens T. Livius lib. III. cap. 44-48. de Appio Claudio Decemviro, qui Virginii plebeji hominis filiam raptam ſuæ libidinis victimam fecerat: ſcenam aperturus funeſtæ tragoediæ patrem misericordia in ſpeciem crudelitatis lapſum, in filiam ſua manu perimendam, plebem cum milite in Patres conſcriptos armavit, ut ſecesſione facta mutataque forma regiminis, res omnis Romanorum ad ſummum periculum adducta videretur. Quos quidem mores etiam ſuorum temporum imagine ad vivum depinxit C. Salluſtius, Bell. Jugurth. cap. 41. *Ita nobilitas, factione magis pollens, cum potentia, avaritia ſine modo modeſtiaque, invadere, polluere & vaſtare omnia; nihil penſi habere, quoad ſemet ipſa præcipitavit.* Verisſimum ergo illud dictum eſt, ſi credimus experientiæ, *Nuſquam esſe nefas in orbe, quod ſuo exemplo caret.* Quid mirum vero, ſi & in hoc antediluvianorum facinore, de quo ſermo nobis eſt

eſt, obſervare licet curſum & quaſi gradum humanæ perverſitatis? Primum illi viderunt filias hominum, deinde cupierunt, ad extremum rapuerunt: neque moribus illarum capti ſunt, ſed tantum forma corporis. Id quod Deum ſummopere offendit. Quare, cum alia vitia permulta esſent in hominibus, adeo ut condidisſe humanum genus Deum pœnituerit; tamen hoc unum peccatum promiſcuarum nuptiarum, absque parentum conſenſu initarum atque ad ſolam voluptatem ſpectantium, magna emphaſi exprimitur.

II. Quod Deus antediluvianorum hominum atro carbone notaverat ingenium, id pravum esſe inde a pueritia; hoc vero deinceps, ut primum ſpiritus reſumpſerat ſecundis rebus, non degenerasſe in melius Hiſtoriæ produnt inſecutorum temporum. Diſcimus enim non innuptas tantum, ſed & nuptas maſculorum expoſitas præter ſuam voluntatem libidini. Quid? ipſumne Dei populum, ſanctioribus obſtrictum

 legibus

legibus, id ipsum haud exhorruisse flagitium exemplum est in propatulo? Singula ex ordine lustrabimus. Verum & iratum sceleri, ut cum maxime, supremum Numen reverebimur. Primam in his perpetuæ infamiæ notam suo nomini inussit nonnemo Ægyptiorum rex Pharao: alteram Abimelechus, a trita ejus populi compellatione sibi cum successoribus Communi sic nuncupatus, Philistæorum regulus; uterque Saræ, uxoris Abrahami, pudicitiæ insidians, quam delusi a marito rapiunt ficto sororis nomine. Hic vero etiam, aut mavis, ejus filius, paternæ ditionis heres factus, in causa fuit, cur & Isaacus, in ejus regionem pedem inferens, ob Rebeccæ formam eximiam suæ saluti metueret: fore enim, ut sese de medio tollere, quam voto mallet excidere potiundæ mulieris. Gen. XII. 12-14. XX. 2. 7. XXVI. 7. Qua quidem ex re satis abunde æstimari potest profligata & incredibilis illarum gentium libido, jusque adeo viola-

violatum hospitii, cujus tamen necessitudinis arctum vinculum atque etiam divina reverentia sanctum melioribus gentibus habitum. Qui eorum, & cumprimis proximorum Cananæorum, mores postremo ad id pravitatis grassati sunt fastigium, ut vel ea de causa illos internecioni devovisse suisque sedibus expulisse Deum sacræ haud obscure prodant historiæ. Ceterum ex his & quod mox adferemus, Sichemi facinore palam est, quamvis innuptam, maxime advenam, peregrinam, rapere & vitiare illorum moribus impune haberetur; tamen viro desponsam violare religioni duxisse. Quippe Pharao & Abimelechus, criminis a Deo postulati, vim factam confestim purgant erroremque & ignorantiam caussantur: credidisse enim se Saram Abrahami sororem, necdum virum expertam, quam & ille & ipsa præ se tulisset mulier, Gen. XII. 18. XX. 5. Id quod ex naturalis juris & æquitatis vividissimo sensu, in eorum conscientia superstite, hausisse omnino

censeri debent: accedente insuper ipsius Dei vindictam interminantis judicio. Ut adeo legem de raptu non faciendo (in Hebræo est גזל: quod vocabulum etiam hoc sensu obvium est Jud. XXI. 23.) iis gentibus divinitus latam septem inter præcepta, mox a diluvio Noachi posteris data, non abs re prisci Judæorum Magistri tradiderint. Utut mustei horum discipuli id præceptum περὶ τοῦ גזל nunc latius extendant ad rapinam quam libet: qualis quidem naturali jure interdicta; neutiquam tamen exsertis verbis vetitam his, qui Noachum proxime ætate attigerunt, illorum temporum perhibet historia. Et vero nuptæ mulieris raptum illum ultimum meruisse supplicium, cum ipsi profitentur raptores, tum Deus edicit Philistæorum Dynastæ: *Ecce tu illico moriturus es propter hanc mulierem, quam rapuisti; cum sit marito juncta*, Gen. XX. 3.

III. Is fuit nuptæ mulieris raptus. Damus aliud innuptæ exemplum, Gen.

Gen. XXXIV. 1. 2. Et Dinam quidem, Jacobi filiam unicam, non volentem, ſed prorſus invitam fuiſſe raptam compresſamque a Sichemo, Hemori filio, ex eo conficitur, quod is, oblato illi vitio, *locutus fuit ad cor ejus.* Quod nihil eſt aliud, quam voluiſſe conſolari eam blanditiis. Cui geminum vis virgini factæ levamentum Q. Fabius Pictor in fragmentis Annal. lib. I. de perſonato quodam, ut opinor, Martis ſacerdote retulit. *Solito inſtitutoque egresſa virgo* (Rheam Silviam Veſtalem fuiſſe colligas ex Livii lib. I. cap. 4.) *in uſum ſacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco Martis ſubito imbribus tonitubrusque, quæ cum illa erant, disjectis, a Marte compresſa conturbataque, mox recreata conſolatione Dei, nomen ſuum indicantis affirmantisque ex ea natos patre evaſuros.* Ita vero ſummam Dinæ factam injuriam, jusque adeo naturæ de vi non facienda nec honore virgineo lædendo violatum, ac proinde ſuo me-

rito pœnas dare cum raptorem, tum complices (inter principes enim, ut hic, non foro, sed bello locus erat) non dissimulabant & Jacobus & filii. *Quid enim potest esse sanctum iis, qui ætatem imbecillam & præsidio indigentem, libidini suæ depopulandam foedandamque substraverint? Non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari.* Verba sunt Lactantii Instit. lib. VI. cap. 23. Sed tempori locoque, ubi Dei timor nullus esset, serviendum ratus prudentissimus senex, *Perturbastis me*, inquit conversus ad filios, *qui fecistis, ut foeteam apud incolas regionis hujus, apud Cananæos & Perizzæos; nam cum sim hominibus paucis instructus, si congregaverint se adversus me, cæsuri sunt me, ut exscindar ego & familia mea.* At filii non sacrorum, quæ Sichemus profiteretur, diversitatem indignitatemque causantur; nedum in nuptias consentiunt ex animi sententia; sed quod caput rei erat, respondent: *Num quid velut cum prostibulo*

bulo ageret quisquam cum sorore nostra? causam cædis allegantes vim factam a Sichemo, & quidem multiplicem; nam & domi suæ detinebat Dinam, ut liquet ex comm. 26. & per vim stupraverat rapueratque invito parente & fratribus. Proin Sichemum suopte jumento sibi attraxisse necem: nec ipsum tantum, sed & eos, quorum consilio & ope id scelus perpetrasset. Qua in re ipsius Dei sententiam nuper in casu haud multum absimili adversus raptorem & socios dictam, Gen. XII. 17. XX. 7. 18. pro se militare, atque etiam promissam Abrahamo proavo Dei vindictam, suis suorumque ab hostibus sumendam Gen. XII. 3. ad sui redundare fiduciam, non sinistre judicaverint. Unde nihil pensi habuere, quod Hemor Dinam a filio stupratam ab Jacobo patre & fratribus cunctaque familia, quamvis pacis tantum causa, ut videtur, ex more & ordine petiisset; atque insuper, ut eorum, quos læserat, iram mitigaret, illorum moribus sacrisque

crisque fese conformaturum fpofpondisfet. Usque adeo ægerrime ferebant vim factam forori fuæ ac familiæ, non nifi raptoris & complicum ad unum omnium nece expiandam! Culpavit tamen id filiorum, Simeonis & Levi, factum pientisfimus parens morti propinquus, Gen. XLIX. 5-7. non quod præter jus & fas illam ftragem edidisfent; quam eo, quo diximus, fenfu ipfiusque Dei fententia fuffultam, laudat auctor, qui Judithæ hiftoriam compofuit, cap. IX. 2. Sed quod & fidem, Hemoro comm. 15. datam, fefellisfent & fe fuosque omnes finitimarum profanarumque gentium furori expofuisfent: coactum enim fe tum folum vertere atque alio transferre lares penatesque. Reprehendit intempeftivam filiorum vindictam, quam fe inconfulto fumfisfent, qui caput esfet ac princeps familias; nam fi hoftili agmine fe aggresfuri fuisfent Cananæi & Perizzæi, futurum fe ipfis belli viribus imparem: *paucis* quippe *hominibus in-*

ftructum

ſtructum; ſecus vero ſtatuturum, ſuæ ſi res ſalvæ forent. At enim nefarium id Sichemi flagitium vicinis etiam gentibus, quarum hoſtiles inſultus Jacobus metuebat, probe habitum, Deoque vehementer displicuisſe, vel hinc liquere puto, quod illi cædis poenas poſcere a Jacobi filiis ne auderent quidem. Nam cum ſedem Patriarcha ex eorum finibus moveret, Bethelem migraturus; *inerat terror Dei civitatibus, quæ circum erant*, hoc eſt, ſenſus ultricis Dei juſtitiæ, quæ effecerat, ut pavidos & conſcientia vecordes intraret metus: quæque injuriam Jacobi filiis inferendam haud inultam ſineret; *adeo ut non perſequerentur abeuntes filios Jacobi*, Gen. XXXV. 5. En ipſum Deum, effrenem impetum & vim factam Dinæ pudicitiæ totique Jacobi familiæ, damnantem in hominum conſcientia! En Dei diſciplinam, qua vel efferatas gentes coërcet, ne in omne ruant nefas ſuamque ſeſe in perniciem præcipitent, divinæ formi-

formidine poenæ!

IV. At, inquis, Benjaminitæ raptus exemplum edidere tanquam justi, ut videatur, & liciti: eoque magis, quod publica magistratuum auctoritate patratus sit, qui ceteris præerant tribubus, Judic. XXI. 23. Verum, ubi rem paulo curatius excutias, deprehendas liquido utrinque non uno modo peccatum esse. Initio enim Seniores Israelitæ prætexunt jurisjurandi religionem, quo filias dare in matrimonium Benjaminitis noluissent; quod tamen dolose ipsi violant: inque raptum consentiunt, flagitium nihilo levius quam perjurium. Nolunt exemplum præbere perjurii, & dant raptus. Neque dolus juramentum solvit, quin adstringat magis. Rursus violant divinæ legis aliud caput. Nam si puella sit hereditaria; cavetur Num. XXXVI. ne cuiquam alia in tribu nubat, quo prædia non perturbentur. Quid vero, si ex iis raptis aliquæ fuissent hereditariæ? nonne præter legem nupsissent

fisſent extra tribum? Deinde nec Dei oraculum ante requiſiverant, ut factum ſemper & fieri oportuit in dubio; ſed per ſe ipſos conſilium capiunt: quaſi in re tam perplexa & ardua errare non posſent. Deum, inquam, conſulere oportuit priusquam temerario ſe juramento obſtringerent, negarentque ſe daturos Benjaminitis filias, quas petendi illi jus habebant. Poſtquam vero id votum ore Seniorum exciderat, præſtabat hoc reſcindere, quam permittere, ut Benjaminitæ virgines raperent invitis parentibus. Neque enim ſcio, an vovens homo homini id præripere posſit, quod jure ipſi debebat. Debebant autem Iſraelitæ virgines Benjaminitis: ut propagarent genus ſuum implerentque naturæ atque ipſius Dei mandatum, Gen. I. 28. Ovidius Faſt. III. 195. *Extremis dantur connubia gentibus.* Debebant Iſraelitæ tanto magis, quod miſceri Benjaminitas cum profanis populis ipſa Dei lege nefas erat. Neque hi exciderant jure illo
ob

ob facinus Jud. XIX. ut quod illi bello jam ulti erant plus fatis. Denique ne ambigas ita non jure, fed facto contigisfe; repetit facer Hiftoricus cenfuræ loco illud intercalare monitum: *Tempore illo non erat rex*, aut qui jus diceret cum imperio, *in Ifraele*; *quisque quod fibi videbatur, faciebat*. Nec eft quod contra obtendas, id jure ludorum licuisfe folennium, quos ad Tabernaculum Schilunticum Ifraelitæ edidisfent: quomodo Cicero pro Plancio, *Raptam esfe mimulam*, ait, *quod dicitur Atinæ factum a juvene, vetere quodam in fcenicos jure, maximeque oppidano*; nifi eadem opera hoc folemne & legitimum dicas, quod fæpe olim factum; quum ex. gr. Confualia pararet Romulus, & Tiberius Circenfes ludos conftitueret, caufa rapiendarum mulierum: fitque etiamnum vel ludis vel alio tempore, prout fors dederit, ubi difciplina eft disfolutior. Nam quod fit licentia, morum corruptela, non fit jure. Præterea id factum

factum non purgaveris causando, Israelitas non malo animo huc descendisse, sed pia, ut dici solet, intentione: ut ne tribus interiret Benjaminitica. Non enim satis est aliquid bono animo fieri; sed videndum apprime est, ut justum, rectum, honestum & consentaneum divinæ voluntati sit, quod agas. Adhæc & naturali jure & consuetudine retro a majoribus accepta quasi lex tum viguit, quæ caverat, ne matrimonia citra parentum consensum sint rata; hic vero rapiuntur puellæ ac matrimonia ineuntur, non solum insciis, sed & invitis parentibus & agnatis; veluti apparet ex comm. 22. ubi, *Quum venerint*, Seniores inquiunt Benjaminitis, *parentes puellarum aut agnati earum ad litigandum apud nos* (melior lectio in Hebræo habet לרוב *ad multiplicandum sese*; ut fit tumultuante ac seditionibus æstuante populo) quos enim in jus vocarent, ubi salva non erat a Senioribus ad superio-

periorem judicem provocatio?) *dicemus eis* : *Gratificamini nobis illas*, (obſerva hic poteſtatem illorum temporum moribus inductam, parentibus & ubi illi deſint, agnatis integram, vindicandi jura filiarum & agnatarum; ſed & matrimonium illis invitis contrahi nefas fuisſe :) *qui non cepimus cuique uxorem ſuam in iſto bello*, puta, quum Jabes expugnaremus oppidum Gileatididis; *quandoquidem vos* eas veſtra ſponte *non dediſtis illis*. *Jam ergo veſtra culpa erit*. Quod decretum eo unice conſarcinatum atque excogitatum esſe quis non videt, ut & juramenti ſcrupulum, ſi fieri posſit, parentibus eximerent, & raptus culpam, dicis cauſa, in parentes rapiendarum virginum rejicerent? E diverſo Benjaminitæ peccarunt eo quod virgines non ex ordine ſinguli peterent a parentibus Schiloniinis; ſed doloſe atque ex compacto & comuni fraude cum Senioribus, conſtitutis in eam rem ludis & ſpectaculis, ut

ut dictum est, per vim abducerent, eoque raptus se reos facerent. Neque vero magistratibus jus competit in elocandos civium liberos; nec ut compellant parentes; nisi forte eo casu, quo illi in liberos sunt injurii, vel quum negaverint filias legitime postulatas dare finitimis, quibus negare eas, ut superius visum, nefas erat; quorum neutrum hac in quæstione dici potest. Audiamus Patrum gravissimum, Augustinum, contra Romanos disputantem, de Civit. Dei II. 17. *Ex hoc jure ac bono credo raptas esse Sabinas. Quid enim justius & melius, quam filias alienas, fraude spectaculi inductas, non a parentibus accipi, sed vi, ut quisque poterat, auferri?* Κατ' εἰρωνίαν dictum. *Nam si inique Sabini facerent negare postulatas, quanto fuit iniquius rapere non datas? Justius autem bellum cum ea gente geri potuit, quæ filias suas ad matrimonium conregionalibus & confinalibus suis negasset petitas, quam cum ea, quæ repetebat*

Digitized by Google

ablatas. Habes ergo, Lector, luculentum exemplum raptus proprie dicti, adversus innuptas consummati, atque per apertam & publicam vim, consutis dolis, invitis renitentibusque parentibus facti. Qualis si in civitate illa bene constituta inter privatos attentatus fuerat, haud dubie capitalis sit; adeo quidem, ut per jus Mosaicum lege plagii Deut. XXIV. 7. raptarum parentibus agendi in judicio adversus delinquentes jus salvum fuerit; ut supra cap. II. §. 3. dictum.



CAPUT

by Google

CAPUT QUARTUM.

IN RAPTUM CONCILIORUM CANONES.

ARGUMENTUM.

Canones Conciliorum, Ancyrani, Chaliedonensis, Cabilonensis. II. *Meldensis & Aquisgranensis.* III. *Quæ ratio diversitatis eorum a Jure Civili.* IV. *A vetustis ac melioris notæ canonibus recessum est in Papatu, & quibus de errorum principiis. Concilium Aurelianense & Capitulatio Caroli Magni.* V. *Decretum concilii Tridentini excusum.* VI. *Epilogus.*

Jus divinum excipiat Ecclesiasticum: ex illo manans, velut radii e sole. Sic tamen, ut labente ævo mirum in modum sit adulteratum errorumque nebulis pœne extinctum. Cujus rei parva in imagine exemplum ob oculos ponam; si quid vetus Ecclesia, quid Papatus hac in causa decreverit, ex ordine retulero. Prima cir-

ca raptas virgines desponsas legem condidit Synodus Ancyrana I Galatiæ. habita, *A. C.* CCCXIV. Canone XI. Τὰς μνηστευθείσας κόρας, καὶ μετὰ ταῦτα ὑπὸ ἄλλων ἁρπαγείσας, ἔδοξεν ἀποδίδοσθαι, τοῖς προμνηστευσαμένοις, εἰ καὶ βίαν ὑπ᾽ αὐτῶν πάθοιεν. Justello interprete : *Desponsatas puellas, & ab aliis postea raptas, placuit iis reddi quibus ante desponsatæ fuerant, etiamsi vim ab illis*, scilicet raptoribus, *passæ sunt.* Quæ sic accipiunt & interpolant Canonistæ C. 27. q. 2. *Si puella rapta sit alteri desponsa per verba de futuro, reddendam esse illi, modo eam velit recipere. Sin vero nolit, puellæ, quæ rapta fuit, liberum esse alii nubere. Verum si desponsa fuerit per verba de præsenti, & probari queat invitam fuisse raptam, sponsum, si nolit eam recipere, oportere cogi.* Quum tamen poena in ipsos raptores hoc canone sancita non esset ; inde vero recte Basilius canone XXX. qui est adversus raptores, in epistolis ad Amphilochium, observavit, *Usque eo*

nullum

nullum reperiri antiquum canonem, qui idgenus homines respiciat; additque, *Sed se existimare, eos per tres annos poenitentiæ subjiciendos esse, una cum iis, qui ipsorum facinoris conscii sunt.* Ex quo factum est, ut Concilium Chalcedonense, Oecumenicum, coactum *A.* CCCCLI. in ipsos raptores censuram strinxerit, canone XXVIII. Τοὺς ἁρπάζοντας γυναῖκας ἐπ' ὀνόματι συνοικεσίου, ἢ συμπράττοντας ἢ συναιρομένους τοῖς ἁρπάζουσιν, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, εἰ μὲν κληρικοὶ εἶεν, ἐκπίπτειν τοῦ ἰδίου (alii codices οἰκείου) βαθμοῦ. εἰ δὲ λαϊκοὶ, ἀναθεματίζεσθαι. *Eos, qui rapiunt mulieres, vel auxilium præstant, aut consentiunt iis qui rapiunt, definit sancta Synodus, siquidem clerici fuerint, proprio gradu excidere: sin autem laici, anathematizari.* Quum enim, ut opinor, crescente hoc delicto, moribus Vandalorum Gothorumque barbararum gentium, rapinis infamium, in Romanum imperium velut undæ irrumpentium, sed mox armis reprimendarum. Imperator Justinianus ante

 paullum

paullum specialem legem raptui opponeret, quæ extat in Codice, de Raptu virginum (Neque vero antiquis moribus poena in raptores fuit definita lege illa Romanorum, lata, ut videtur, demum post facinus ab Appio Claudio admisssum, de quo Livius, *Vim ingenuæ virgini inferre, aut eam suasione in tuam sententiam trahere caveto.*) iidemque delinquentes turbatæ offensæque societatis Ecclesiasticæ rei viderentur; suarum non minus partium esse Patres in eo concilio existimarunt hosdem suæ disciplinæ subjicere. Neque raptores tantum impetunt, verum & eorum socios. Ut plane diceres normæ loco ipsis fuisse Justinianeum Codicem, quem diximus. Sanctio tamen canonis haud paulo gravius premit laicos, quam hos, qui sunt de clero. Quod quidem quo illorum jure fiat, fateor me non intelligere. Utrobique enim scandalum datur Ecclesiæ. Ex quo apparet utrosque fuisse ex æquo ab ejus

ejus Communione removendos: neque adeo illos magis quam hos feriendos anathemate. Quare viderint Patres illi, num quo privilegio vel Ecclesiæ conſtitutio atque indoles, vel Chriſtus & Apoſtoli (ſi quidem recedamus ab illo 1 Tim. V. 19. quod agendi adverſus eos modum ſpectat.) donarint ſacrorum miniſtros in his atque id genus aliis delictis: quæ efficiunt, ut Dei ira provocetur, utque hactenus inſtituto ac fine ſuò coetus excidat fidelium. Quin imo nocent, qui ſacris præſunt, malis exemplis tanto vehementius, quanto illi a populo majores habentur. Sane vero olim indecoras nuptias Sacerdotibus prohibitas, & in horum filiis fornicantes gravius animadverſum, quam in plebejas, diſcimus ex Levit. XXI. Adeo & morum pravitatem infamiamque ſacrorum hominum ordine procul exulare Deus voluit. Raptor ergo cenſuram ſubit ſecundum hoc concilium: neque is tantum,

 verum

verum & qui *auxilium præstat*, & qui *consentit*: ille ipso opere & facto, hic verbis & suasione; nam, ut ait Comicus, *qui monet, quasi adjuvat*. Est autem excommunicatio novissimus disciplinæ gradus in foro Ecclesiæ. Neque enim hæc procedit ultra; tametsi capitis supplicium lex civilis Justinianea sontibus infligit. Et sic tamen sat graviter in sontes animadversum fuit, pro ratione illorum temporum. Nam constricti anathematis compedibus excludebantur communione Ecclesiæ: nec aliquid eorum ad ipsos pertinuit, quæ membris Ecclesiæ a sacrorum ministris præstabantur; veluti benedictio sacerdotalis, his data qui matrimonium inituri erant. Eoque ipso matrimonium inter raptorem & raptam illegitimum censebatur. Quanquam de praxi antiquæ Ecclesiæ hac in re vix constat. Videtur tamen raptor acta ad aliquot annos, ab Episcopo definiendos, poenitentia ad Ecclesiam recep-

receptus esse: quod volunt canones, a Basilio & post Chalcedonenses editi. Huic Concilio accedit, idque confirmat Cabilonense II. habitum in Gallia A. IↃCL.

II. Et hi quidem circa eam causam tum in Ecclesia vigebant Canones. Resultabat vero ex hoc disciplinæ capite, quatenus ad forum sacrum pertinebat, non unus casus, non una quæstio superioribus Conciliis haud definita. Quod cum perspicerent sacrorum præsules, transactum fuit in Concilio Meldensi I. ejusdem Galliæ, A. IↃCCCXV. Canone XXI. *ut raptor & rapta poenitentiam publicam agerent.* Deinde *conceditur matrimonium, non tamen inter se, verum cum aliis.* Additurque, *Si conjux alterius moriatur, ne is qui raptum admisit, vel raptori consensit, postea unquam ineat novum matrimonium, nisi Episcopus relaxet.* Adhæc decernitur, Nullo modo placere, ut tale conjugium coeat, ne si parentes quidem consense-

SENSERINT. Prohibentur ergo nuptiæ raptoris cum rapta, *si vel parentes consentiant*, Quo ipso canon imitatur legem civilem Codicis. Atque hoc idem statutum in Concilio Aquisgranensi I. convocato a Carolo Magno, A. IↃCCLXXXIX.

III. Quum vero lex Codicis Justinianei mortis poenam sanciat in raptorem; miraberis, Lector, quî fiat, ut canones, quos modo attulimus, sic decernant de poena raptoris, tanquam si de vita securus pro membro Ecclesiæ sit recipiendus; modo ejus censuram subeat. Qua in re videtur affirmandum: vel duriorem visam esse Patribus poenam capitis in foro civili receptam; quemadmodum & olim & nunc etiam non eadem statuitur moribus gentium, in quibus alioqui viget Jus Imperiale. Vid DD. ad sæpe citatam legem Codicis, & l. Juliam de vi publica: vel certe existimandum, legem Justinianeam in his regionibus, ubi habita concilia, non obti-

obtinuisse; vel sic censuisse canonum conditores, raptorem scilicet teneri censura Ecclesiæ, etiamsi capitis non effugeret supplicium: quo pertinet canon Concilii Chalcedonensis.

IV. Ad extremum sacræ hujus disciplinæ non una corruptela in Papatum invecta est; & quidem ex triplici errore, qui tum invaluit: Primum, quod matrimonium in sacramentorum duceretur numero: Deinde quod Ecclesia ἀσυλίαν præstare crederetur his, qui ob delictum aliquod a civili magistratu plectendi erant: tum, quod fori denique civilis jura quædam Ecclesiæ juribus affinia, ad Ecclesiam pertinere putarentur. Ex quo accidit, ut matrimonium raptoris cum rapta licitum pronunciaretur, & raptor si ad Ecclesiam se recipiat, poenam mortis evitaret; velut decrevit Concilium Aurelianense III. cui suffragatur Capitulatio Caroli M. de Partibus Saxoniæ §. XI. *Si quis filiam domini sui rapuerit, morte moriatur.*

tur. Et ſequitur §. XIII. *Si quis vero pro his mortalibus criminibus latenter commisſis ſponte ad ſacerdotem confugerit, & confesſione data agere poenitentiam voluerit, teſtimonium Sacerdotis de morte excuſet.* Quæ quidem qualia, & quam inſincera ſint, dudum disputarunt alii. Hinc tamen, ſicut error errorem ſerit, Canoniſtæ, præeuntibus Decretalibus, licere ajunt raptori matrimonium inire cum rapta. Cumque Concilia ſupra dicta in diverſum abeant, reſpondent, hoc velle Concilia: non licere matrimonium contrahere illo caſu, niſi publica poenitentia præcesſerit & conſenſus parentum; ſecus nihil prohibere. Quod quam recte habeat & quousque verum ſit, apparet e verbis Meldenſis Concilii, quæ ante retulimus. Gratianus tamen in eam ſententiam citat Hieronymum, qui videatur agnoſcere tria genera matrimoniorum licita: unum, cum puella traditur a parentibus aut tutoribus viro

viro in matrimonium: alterum, si puella oppressa fuerit a viro, & pater deinde consentiat, ut ei locetur in matrimonium: tertium, si pater in ejusmodi nuptias non consentiat, sed eam alteri viro tradat. Ex quo colligit Gratianus (mirum dictu!) Hieronymum probare matrimonium inter raptorem & raptam. At vide, quæ in has leges Mosaicas supra cap. II. disputavimus. Nec multum ab his diversa scribit Thomas Aquinas cum reliquo Scholasticorum grege. Statuit ille, raptum non impedire contractum matrimonium. Canonibus autem qui contra stant, respondet, illos fuisse latos ad criminis detestationem; sed Papam Innocentium deinde rem melius considerasse: puta Extra. cap. 3. de Raptoribus & Incendiariis sic decernentem: *Si puella invita rapta fuerit, & postea consentiat matrimonio raptoris; nuptiæ contractæ sunt etiam invitis parentibus.* Ac subjicit ibidem, *hoc fieri in honorem matrimo-*

trimonii; cum contra aperte ad ejus contumeliam pertineat, si quis rem totam propius consideret. Et vero tantum abest, ut invitis parentibus matrimonium raptori cum rapta concedant antiqui canones, ut illud prohibeant potius, si vel parentes consenserint: legis civilis normam secuti, quæ raptoribus poenam constituit; etiamsi parentes postea consentiant matrimonio. Taceo Exod. XXII. 17. parentibus potestatem dari vel confirmandi vel rescindendi matrimonii filiæ corruptæ, & Num. XXX. 4. 5. tollendi votum a filia nuncupatum. Unde evidens est, idem iis jus salvum fuisse etiam in aliis, maxime in honestis liberorum matrimoniis: confirmante praxin Patriarcharum & secutorum temporum historia. Adeone autem Papa ex vero statuit, consensum parentum ad matrimonium non esse necessarium? clandestina matrimonia, contra parentum consensum contracta, esse rata & vera matrimonia,

nia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecerit? atque id genus alia, quæ vel gentes exhorrescerent; ut est apud Cujacium Observ. III. 5. Quanto magis pie Canon XLII. Basilio servatus in Epistolis ad Amphilochium declarat, *matrimonia eorum omnium, qui in alterius mancipio sunt, contracta absque illorum assensu, non esse matrimonia, sed fornicationes: atque adeo matrimonia liberorum sine consensu parentum nulla esse?* Exam. Jur. Canon. Cap. IV. §. 4. Ut nesciam equidem, an Christiana in Ecclesia atque inter meliores gentes antehac auditum fuerit illud Priapeium carmen, quod JCtis quibusdam in ore est: *Ik laet myn haenen uyt; elk verwaer zyn hennen.*

V. Sed illam errorum illuviem, vetustis ac melioris notæ canonibus interpolatam, in unum, quasi in sentinam, coëgit Concilium Tridentinum, Sessione XXIV. Decret. de Reform. Matrimonii cap. 6. *Quamdiu rapta mulier in potestate raptoris fuerit, nullum pos-*

ſe fieri matrimonium decernit ſancta Synodus. Si autem in libertate conſtituta, eum in virum habere (Latine vero, amabo vos, non barbare! ô ſancti Patres!) *conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat: Jure tamen ipſo ſint excommunicati, perpetuo infames, & omnium dignitatum incapaces, tam raptor, quam omnes conſilium, auxilium & favorem illi præbentes. Si clerici ſint, de gradu ſuo cadant. Dotare autem raptam arbitrio judicis raptor teneatur, ſive illam duxerit, ſive non duxerit.* Age vero, fricemus paulisper hanc ariſtam! Quum Synodus raptores & complices excommunicatione ferit; in eo ſequitur presſe confirmatque Patrum Chalcedonenſium ſententiam. Et mirito quidem; niſi quod Clericos ὁμοφύλως paulo habeat mitius, quam jus & fas ſinit; ut ſupra dictum. Veruntamen deſerit ſaniorem canonem Meldenſis Synodi, quum irritum matrimonium raptoris cum rapta non decernit, niſi rapta in libertate conſti-

tuta

tuta nolit raptori nubere. Deinde recedit a Jure Civili, quod tamen antiquis Conciliis fere pro norma fuit, poenam ſtatuente in raptorem, ſi vel mulier in matrimonium conſentiat. Nimirum ita recens philoſophati erant Canoniſtæ C. 36. q. 2. *Si puella*, inquiunt, *conſenſerit raptori, primum auferetur ab eo, & parentibus reſtituetur; ſed excuſata, id eſt, cautione accepta, ne occidatur vel exheredetur.* Et Theologorum illa tum fuit regula, arrepta e vetere Romanorum ſchola, ut colligere eſt e Corn. Tacito de Orat. cap. 35. *Rapta raptoris mortem vel nuptias optet.* Sed heus! Patres, veſtram fidem! Hoccine eſt parentum honori & conſenſui præſcribere? peſſimi rem exempli, pientiſſimis legibus ante proſcriptam Deoque exoſam, mimico ambagium delectu quaſi poſtliminio in Eccleſiam reducere? Facilene inducetur rapta, ut conſentiat matrimonio? Nonne honori & pudicitiæ conſulet, ubi jam raptor per vim ma-

trimonium cum ea contraxit, torique secuta est copula? Tanti erat poenam, aliis terrori ac freno libidinis futuram, minuere, & raptorem quasi adjuvare, quo potiatur Helena, cui tanto nisu scelestus inhiaverat? Tanti erat pulverem scholasticum publico suffragio cohonestare? Dico scholasticum, nec tamen eruditum pulverem. Nam cum ad finem properare, & mox obsignare Concilii acta e re esset Pontificis, sui non habentis fiduciam, reliqua ejus decreta a Sessione XXIV. quam diximus, velut ex arena perficienda Theologis data sunt; testibus qui illius composuere historiam. Rursus, qua fronte conceditur illinc matrimonium raptori cum rapta, hinc intra gradus prohibitos contractum dirimitur eadem sessione, quorum quidam nullo modo fundantur in lege Divina? Quasi vero raptus Divino jure non æque, imo magis sit abominabilis; ut supra demonstratum. Idemque sentiendum de matrimonio, a Clericis ante solenne votum inito,

inito, quod sacrilege rescindit Can. IX. de Sacram. Matrim. Quid? quanto satius fuerat separare raptorem a rapta, quam divellere a se mutuo eos, qui stuprum admiserant? siquidem id non sit conjugium, nec legitime conjugii initium esse possit; ut est apud Basilium Canone XXVI. Sunt autem decisiones illæ Basilii circa præcipua Disciplinæ capita spectandæ, non ut peculiares ejus sententiæ, sed tanquam leges Ecclesiæ suis temporibus usitatæ. Omitto cetera, quæ excussere scriptores Protestantes, qui ei Concilio larvam detraxere. Porro ne videantur ἄτερ γραφῆς ac sine numine sic statuere, decretum muniunt etiam hac poena: *Dotare raptam arbitrio judicis raptor teneatur, sive illam duxerit, sive non duxerit.* Scilicet quum vetusti canones raptores ferirent anathemate; id sic acceperant limitaverantque antehac Canonum doctores, *nisi velit poenitentiam agere: quam si agat, mulctam pecuniariam imponi.* In eoque ajunt se verbum Dei

 sequi,

ſequi, quod eſt Deut. XXII. 28. *Si quis puellam vitiarit, dabit patri ejus L. ſiclos, & eam ducet uxorem.* Atque ita condemnant raptorem ad certam pecuniæ ſummam patri puellæ ſolvendam: quam ſi nolit ſolvere, aut non habeat unde ſolvat, compellitur ad ſerviendum patri puellæ per aliquot annos, quos Gloſſa contrahit ad quinque, hac lege, ut interim ſe poſſit redimere, ſi velit. Verum dicto loco non de raptu, ſed de ſtupro violento ſermonem Moſi esſe, ſupra confecimus. Hanc tamen μετεωρίαν & ἀβλεψίαν mentisque hebetudinem, pro eo quod agnoſcere Theologos illos oportuit, novo potius errorem e trivio ſuffulciunt tibicine. Putares in cudendo hoc canone habuisſe ob oculos legem civilem, quæ raptæ addicit bona raptoris; ſiquidem & in aliis, ut æquum erat, leges imitati esſent. Verisſima proinde eſt de hoc genere hominum Ludovici Vivis ſententia, in lib. III. cap 10. Auguſtini de Civitate Dei. Sed ob hoc a talpis

pis tenebrionibus foras egesta & expurgata: *Felices architecti, quorum structura ad coelum usque erecte elegantissima & firmissima videtur, cujus est fumus pro fundamento! Ex similibus initiis maxima pars eorum, quae Philosophi & Theologi in scholis nugantur, est orta.* Ad ultimum vero etiam foro civili praescribunt personati Amphictyones: primum, cum poenam capitis jure civili in raptorem constitutam suspendunt, concedendo matrimonium: deinde, quum raptores & socios *perpetuo infames & omnium dignitatum incapaces* pronunciant, jubentque ut raptor dotet raptam *arbitrio judicis*, puta Ecclesiastici; neque enim aliud velle videntur. Quae illuc aurigantur, ut seculari judicio subtrahatur & hujus caussae cognitio. Quod & perspexerat reprehenderatque Regis Galliae legatus, qui Concilio interfuit.

VI. Adhuc de violenti connubii genere atque ejus censura dictum. Quae cum ita sint: cum & divino & huma-

no gentiumque jure id factum habeatur detestabile; dici non potest, quam sit contumeliosum Christiano nomini, si quidem hæ nuptiæ legibus Ecclesiasticis, si publica magistratuum auctoritate permittantur; nec solum illæ, verum & quæ ad eas accedunt proxime. *Quid irreligiosius? quid audacius? quid ipsa sceleris confidentia tutius?* ut est apud Minucium Felicem, declamantem in idem facinus ab Romanis Sabinorum mulieribus intentatum perpetratumque. Habuit profecto raptus, habuere matrimonia cum injuria parentum conjuncta semper infaustum exitum; sive sacras lustremus historias sive profanas. Provocavit raptus divini numinis iram & in sontes supplicium: excitavit dissidia & bella rerumque publicarum & regnorum eversiones. Jo Argus abducta est a Phoenicibus, Europa a Cretensibus, Medea ab Jasone, Helena a Paride, si constanti veterum traditioni credimus. Quumque Sabinorum virgines per vim Romani abduxissent;

xissent; funestum bellum consecutum est, quo uterque populus fere concidit. Esavus vero etiam, constituta sibi inconsultis parentibus familia, cum omni posteritate Dei communione & populo exclusus, triste petulantiæ experimentum dedit. Quare, cum Deus noluerit hæc scelera impunita, quid justius? quid magis e magistratuum officio, quam declaratam ipso opere atque ipsis sacrarum literarum monumentis Dei voluntatem & sententiam executioni dare? *Tollite improbum ex vobis*, præcipit Apostolus 1. Cor. V. 13. Non est hominum connivere in his quæ Dei jure sunt constituta. Conveniret ergo etiam in foro Ecclesiæ talia matrimonia, aliaque cum hostilitate quadam & injuria parentum conjuncta, posthac evitare. Augustini gravissima sententia est, cum loquitur de raptu Sabinarum, quas diximus, de Civit. III. 13. *Talibus nuptiis populum Romanum non Venus, sed Bellona dotavit, aut fortassis Alecto illa infernalis furia:*

Quæ sciat unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos.

Scio prostare passim bonas leges, quæ vetant abusus matrimonii: clandestina etiam sponsalia. Nec ignoro multa in hominum societate doleri magis quam tolli posse. At videndum tamen, ne jure nobis exprobretur, quod olim Plautus e Scena Romano ingessit populo, Trin. IV. 3. 30.

Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam:
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Præclarum illud Valerii dictum est, omnis ævi memoria & exemplis confirmatum, IV. 3. 1. *Ii demum penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæque cupido sibi vindicaverit. Nam quo istæ generis humani certissimæ pestes penetraverint, ibi injuria domi-*

dominatur, *infamia flagrat*. Non ſum in ea ſententia, ut matrimonia, quæ usque huc eo modo contracta ſunt, negem eſſe matrimonia. Neque enim animus eſt confuſionem rerum inducere. Sed hæc duo affirmo; cum Petro Martyre in Judic. cap. ult. primum in contrahendo peccatum eſſe; præſertim ſi hoc factum ſit invitis parentibus. Deinde, leges illas, quibus hujusmodi matrimonia conceduntur in Imperio, eſſe corrigendas, ut ne poſthac id facere liceat. Videmus enim ordinem a Deo poſitum perverti: quum non tantum parentes, quorum conſilio matrimonia contrahenda ſunt, habeantur contemptui; ſed & hac via juvenes ad effrenem licentiam animentur, cum ſperent ſe poſſe raptas aut illectas uxores ducere. Cumprimis hoc in votis eſt merito bonis omnibus, qui Eccleſiæ partem faciunt Proteſtantium, ut affulgeat olim ille dies, quo & hoc myſterii iniquitatis λείψανον faceſſat ex illorum Conſiſtoriis, a fermento Papi-

ſtico

ſtico ſic ſatis repurgatis: jusque adeo omne ad ſanctiora principia, ad ſacrarum Scripturarum veterisque Eccleſiæ ac naturæ juris obruſam & legum civilium concordiam exigatur. Quippe *lex in tantum habet vim legis, in quantum participat rationem juſtitiæ*; ut Auguſtinus. Quid autem juſtum ſit, ex Dei voluntate atque hominum conſenſu aut ubi opus eſt, e natura atque indole ſocietatis, in qua juris aliquid ſtatuitur, cognoſci oportet.

INDEX.

B.

C.

D.

F.

G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

0056564 Digitized by Google

Digitized by Google